

Yb
540

Volumen quod est ad LIBRARIAM publicam sociorum CHRISTIANI
statuere, post hoc, sicut etiam in aliis, quod oportet, utrumque
librarium, non in libri, sed in libro, non in libro, non in libro, non in libro,
librarium, non in libro, non in libro, non in libro, non in libro, non in libro,

A. D. A. M. eum in libro, non in libro, non in libro, non in libro,

QVANTVM DEBEANT SCHOLAE

PACI PASSAVIENSI

BREVITER PRAEFATVS

AD

ORATIONES SAECVLARES

AB IPSIS

IN GYMNASIO, FREIBERGENSI

PVBLICE DOCENDI MAGISTRIS

IN

MEMORIAM

PACIS ISTIVS MDLII. PASSAVIT

PACTAE

ET

AVGVSTAE VINDELICORVM die XXV. SEPT. MDLV.

IMPERIALI AVCTORATE CONFIRMATAE,

PRO ROSTRIS PVBLICIS, AD DIEM XXX. EIVSD. MENSIS

HABENDAS.

OFFICIOSISSIME INVITAT

D. CHRISTIAN FRID. WILISCH,

SVPERINTENDENS.

FREIBERGAE,

frannis MATTHAEIANIS.



Vantum debeat *PACI PASSAVIENSI* purior coetus in *CHRISTVM*
 credens, hoc est, ἡ ικανητια ἐπι τη πετρᾳ * ἵκοδομησεται, instituti
 iam nostri non est, dispicere et enarrare. Nam in proposito
 sunt omnia, quae exinde commoda, quae emolumenta et fo-
 latia in vniuersam ecclesiam euangelico - catholicam, pleno
 alueo, promanarunt. Pleni sunt penes nos libri Theologorum, eum etiam
 in finem conscripti, quo βεβαιωτεος ὁ προφητικος λογος † a quisquiliis et
 garris ineptisque istorum temporum, quae *BARBARA* ‡ vocabantur, di-
 vina ope, a Megalandro nostro perpurgatus, luce meridiana clariss, nunc
 exsplendescat, et quam firmo vbiique talo nitatur, liquidius confiter. Pro-
 inde et haec etiam omnino sunt beneficia, innumeris auri myriadibus pre-
 ciosiora, quae debet ecclesia nostra, vtpore τυλος και ελευθερια ‡ της αλη-
 θαιας, *PACI PASSAVIENSI*. Inter potentissimos istos pacificatores,
 Imp. CAROLVM V. nec non fratrem huius, FERDINANDVM I.
 Euangelicae doctrinae admodum amicum, vt et Electorem Sax. MAV-
 RITIVM et IO. FRIDERICVM, olim Electorem *Saxoniae*, nec non
 PH LIPPVM, Landgrauum *Hassiae*, paucis annis ante ex durissimo, eoque
 quinquennali, cuius adhuc nos misereficit, carcere, cum eodem IO FRIDERI-
 CO inde dimissum, primo loco, summa etiam animi pietate, nominamus, qui
 sua auctoritate effecerunt et cooperati sunt, vt liberum, quod aiunt, religionis
 exercitium, insimulque libere, arque ea, quae cordatos decet Theologos, mo-
 destia, et scribendi et docendi facultatem simus adepti. Ast relinquimus haec,
 in re praesentis, aliis aptiori penicillo delineanda. Nam ea duntaxat disquirere
 et in memoriam reducere, volupe nobis est, quae scholae, vtpore ecclesiae mi-
 niores, *PACI* huic *PASSAVIENSI*, etiam hac tempestate, omnino debent.
 Evidem et haec altius repetenda iam esse, non diffitemur. Nam quanta diu LV-
 THERI nostri, iam ante *PACEM PASSAVIENSEM*, et statim ab initio istorum
 temporum, quibus rem ecclesiasticam, penitus deperditam, mendandam, diu-
 nino instinctu, in se suscepserat, in rem scholasticam fuerint * † merita, inter
 omnes, qui eius doctrinam, aequo ac nomen, aestimant et venerantur, aperte
 constat. Id quod etiam iam olim eodem die, quo in *AVGVSTANAE CON-*
FESSONIS memoriam, heic locorum, pia mente, *IVBILA*, quae aiunt, *PV-*
BLICA, recolabatur, et quantum *AVGVSTANAE CONFESSIONI DEBE-*
ANT SCHOLAE, fuis exponer occooperam, sed et temporis spatio exclu-
 sus, et aliis occupatus laboribus, telam non poteram pertexere, velerius ostend-
 furus, tantam fuisse prudentiam LVTHERI, vt probe cognoscerer, si malum,
 quod velut cancer, teterrimus morbus, per vniuersum, quaqua patebat, ecclie-
 siae corpus, ferperat, in primis viis, prout Medicorum filii in scholis suis lo-
 qui amant, non intercederetur, sero, imo frustra, medicinam paratum iri.
 Quare omnes ingenii intendebat nervos, omnem mouebat lapidem, quo et
Nominalistarum et *Realistarum* nomina, quae nos ipsi adhuc, veluti ad obie-
 ctum *Modusarum* caput, exhorriscimus, nec non *Ocamistarum* * †, *Thomistarum*
 et *Scotistarum* doctrinæ, maximam partem inficiatae, exfangues et strigosis,
 e scholis exterminarentur, et ad inhospitalem *Cucurum*, liceat mihi cum
 HORATIO, * † olim nostro, loqui, et quac loca fabulosus lambit *Hydaspes*, quasi
 in exilium mitterentur, ac solidiora e contra diuinioris atque politioris littera-
 raturae

* Matth. XVI. 18.

† 2. Petr. I. 19.

‡ vide CHRISTOPH. CELLARII Hist Med p 666. IO GERH. VOSSII Tr. de
 nat. Art L. III. c. 16. L. V. c. 14. IO. FRANC. BUDDEI Hist. Philosoph.
 c. 5. §. 4. et MOSHEMII Saec. X. P. II. c. 1. §. 30. et P. III. c. 1. §. 30.

‡ 1. Tim. III. 15.

* vide sis Progr. nostr. Init. ad Orat. Saecul. 1717. in Gymnasio Altenburgensi
 hab de meritis MARTINI LVTHERI in rem scholasticam.

‡ vide FRID. SPANHEMII Hist. Eccles. p. 193. DAN. GEORG. MORHOFII
 Polyhist. T. II. L. I. c. 13. §. 12. p. 81. et c. 14. p. 85. IO. FRANC. BUDDEI
 Phil. Instr. c. 5. §. 7. IO GOTTL. HEINECCHI Elementa Philos. ration. et
 moral. p. 6. et p. 108. et sequ. * L. I. Od. XXII. v. 7. 8.

raturae principia, pubi scholasticae, omni cura, inculcentur. Nec decret
ipſi, ad hunc finem exsequendum, ipſa, quam admiramur, summi Numinis
prouidentia, quae ad hanc scholaram emendationem, viam velut regiam ipſi
strauerat et manifestat. Enim iamiam saeculo X V. post C. N. primo
quasi diluculo, melior meliorum litterarum exoriebatur conditio, duce in-
primis FRANCISCO PETRARCHA, IO. TAVLERO et IO. WICLEFIO,
exstructa insimul Academia Heidelbergensis, Progenſi et Erfurtensi, deinceps
saeculo XV. IO. HVSSO, HIERONYMO PRAGENS, IO. GERSONE, THO-
MA * DE KEMPIS, LAVR. VALLA, IO. PIC. MIRANDVLANO, IO.
RECHLINO, aliisque, instauratis etiam † Lipsiae, Rosoebii, Louanii, Gry-
phirvaldae, Basileae, Friburgi in Brisgovia, Ingolstadt, Vpfalziae, Tubingae,
Hafniae et Moguntia Academias. Istorum, quos adhuc veneramur, virorum,
variis scientiarum generibus eruditorum, indefessa opera, densissimis, quae id
temporis grassabantur, ignorantiae tenebris, plenis nunc radiis, amoenissima
elegantiorum litterarum aurora, luci velut euangelicate praequa, magis arque
magis elucescet. Nec parum quoque ad feliciorem bonarum artium est
litterarum instauracionem faciebat Typographia †, praecella ars, et, si vſu vero
ergenuino conſtar, abusus vero, quem ipſe MORHOFIVS, ‡ Polyhistor celeberrimus,
detestatur, tollitur, inde ab A. C. MCCCCXL. vere diuinitus nobis con-
cessa. Cui etiam paulo post, Byzantium †, vrbe orientalis regni primaria, hodie
Constantinopoli dicta, a MVHAMEDE, Turcarum Principe, misere, A. C.
MCCCCIII deſtructa, prouidentia vere diuinā, accedebat magna illa et insignis
graecarum litterarum e Graecia in Italiā * † migratio, qua fiebat, ut inde etiam,
ope in primis THEODORI GAZAE, GE. TRAPEZVNTH, aliorumque ex Gra-
cia exulum * † in Germania, tum temporis, et morum † * † et elegantiorum † * †
litterarum lux oriretur. Haec erant quasi praeludia suauissima, seu, prout
latinus loquitur WERNSDORFIVS olim noster, Theologus magnis in

b

veram

* Qui inter primos, eosque pūſſimos, beati LVTHERI praecurſores fuit, habuit
que dilertissimum, contra hostes suos infenſiſſimos, laudatorem et defenſorem,
inter alios IO. LAVNOIVM, Theologum et forboniflam Parificenſi, teſtem
et confefſorem veritatis euangelico-catholicae celebratissimum, cuius Remar-
ques ſommaries ſur un livre intitulé : la confeſtation touchant l' Auteur de
l' Imitation de Jefus Christ, rendue manifeſte, par l' opposition de toutes
les preuves propofées par les Benediſſins et Chanoines Reguliers, diviſée en
trois parties, avec les preuves iuſtificatives du droit de THOMAS de KEM-
PIS Paris 1652 et 1663, 8.

† vid. Herm. Corinii Antiquit. Acad. Diff. I. p. 47. seq. nec non Sethi Calvini et
Abr. Bucholzeri Chronolog. alioſequē.

‡ Hinc typographiam beneficium diuinum dixit BODINVS in Meth. Hist. c. 7. et
cum omnibus Veterum inuentis, de principatu eam poſſe, contendere au-
mauit. Vti et IAC. THVANVSL. XVI. Hist. p. 761. ROBERTO STEPHANO-
NO, ob artis huius culturam et elegantiam, non modo Galliam, fed et viuier-
sum orbem christianum, plus debere arbitratur, quam cuiquam fortissimum
belli dicum ob propagatas fines patriae. Ita etiam eſt. Nam quod IO. ANT.
CAMPIANVS, Epifcopus Aprutinus, dicere conſuevit, imprimis illa die,
quatum vix ſcribut anno.

‡ vid. Tom. II. Libr. IV. c. 2. § 6. p. 17.

† vid. CHRISTOH. CELLARII Hist. Med. p. 226. et IO. FRID. BERTRAMI
Einleitung in die litt. hum. c. 4. §. 9. p. 227. sequ.

* Vid. M. CHRIST. FRID. BOERNERI, poſtea Theologi Primarii Lipſenſi, Disp.
de altera migratione litterar. graecar. e Graecia in Italiam, Lip. 1704. hab.
nec non eiusdem de Exilibus Graeciae, itidemque litterar. in Italia inſtaurato-
ribus Disp. II. Lip. 1705. hab.

* Vid. IO. CONR. DIETERICHII Progr. de Propagat. Graecar litterar. et Poēſeos
per Germaniam, MARTINO CRVSO, MICH. NEANDRO et LAVR. RHO-
DOMANNO, Martisburgi 1663, nec non ejusd. de reſtauraz. Graecar. litterar.
per Reuchlinum, ibid.

†* Vid. CORNEL. TACITI de moribus Germanorum p. 546. Edit. Amstelod.

* * Vir. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI, Progr. de Germanis priſcis litterar.
ſecreta ignorantibus, Goetting, 1719.

veram ecclesiam meritis praeclarus, primordia * emendata per LVTHERVM religionis. Quae etiam hic, adiuuante in primis PHILIPPO MELANCHTHONE, communi, prout publice vocabatur, totius Germaniae Praeceptore, ita feliciter, imo adeo impigne et fortiter, propulsabat, ut mox alia plane rerum scholasticarum facies appareret, aliaque et vbiuis facilior docendi aequa ac discendi methodus introduceretur. Ante omnia, et quae prima lex et prima cura erat LVTHERI, et hodiernum esse debet, solidiora pietatis atque religionis principia, non ex humanis traditionibus, vnde talia hauriri non poterant, sed ex limpidiiori, imo limpidissimo divinorum litterarum fonte, pueris puerisque, ea, qua opus erat, solertia, impertiebantur, ut insimae eriam plebis homines promptius aptiusque, quam ipsi, magna auctoritate in ecclesiis atque Scholis constituti docendi Magistri, ex Carechismo, quem LVTHERVS formauerat typisque publicis A. MDXXIX. curauerat excudi, iam tum possent respondere. Postea etiam quam PHIL. MELANCHTHON tricas apinasque, et si quid vilius risuque † dignius illis erat, ex vetustioribus Grammaticarum libellis explodore, et firmiora contra verae latinitatis fundamenta in formam Grammatices atque Rhetorices redigere adnusus erat, nunc non latina duntaxat vocabula ad Grammaticorum regulas componere atque compingere, sed et latine, hoc est, ad veteris LATII indolem veraeque Romanae eloquentiae normam, et loqui et scribere addisebant. Et cum breuitas ac perspicuitas, inter praecipuas, et publice et priuatim docentium, virtutes, ob tantam rerum hodie et discendarum et docendarum copiam, primo loco ponenda sit, laudabilis solertia ac dexteritate, reliquas etiam Philosophiae parres, PHIL. MELANCHTHON, perpetuo LVTHERI instinctu, in usum iuuentutis studiorum, adeo scire, pro illorum temporum ratione, dispositu, ut mira et breuitate et perspicuitate istae enodari jam tum poruerint atque exponi. Ad incrementa politiorum litterarum eo feliciter adiuuanda, et salutem iuuentutis scholasticae, eo citius prouehendam, inueniebat etiam, velut diuina virgula, socios laboris sui fidelissimos dexterimodoque, quos inter, veluti principes bonarum artium atque litterarum Magistros, nominemus IOACH. CAMERARIUM, † ERASMVM ROTERODAMVM, IO. RHAGIVM AESTICAM-PLANVM, PETRVM MOSELLANVM, et, qui primo loco nominandus erat, IO. RIVIVM, Attendoriensem, eam ob causam, patriae cognomine infignitum, quod alii dantur, ‡ qui RIVI nomine inclauerunt. Hic autem IO. RIVIVS vere etiam noster dicendus est: nam et Annaebergae et Freibergae, cum Adamo Sibero, Iobe Magdeburgo et Georg Fabrichio *† maxima cum laude docuit. Namque in frequentissima ad pedes ipsius sedentium turba, habuit etiam serenissimos Ducas HENRICI Pi, qui eo tempore sedem suam fixerat Freibergae, filios iuuentutis Principes, MAVRITIVM et AVGVSTIVM, quibus deinceps etiam a consilii erat, in instaurando illustri Afraneo, quod Misenae hodiernum floret et mihi quoque per integrum, quae diuina erat in me clementia, Sexennium, alma mater fuit.

Cum etiam Musica inter liberales artes, quarum *‡ septem isto tempore

nume-

* quae Vitembergae 1717. et postea etiam cum additamentis edita sunt.

Vide M. JOSEPH. CLAVDERI, Rectoris olim scholae Altenburgensis Orat, saec. de inculta et borrida superioris Romanensis, excultaque et florida nocturna Lutheranae astatis latinitate, recitatam ibi m. Nov. 1617.

† Vide des Herrn D. Ioechers geleyhte Lexicon P. I. p. 1593.

‡ Vide idein. Lexicon Eruditior. P. III. p. 2128.

* Qui vt pote discipulus quoque et deinceps Collega RIVIV nostri, in gratissimi animi documentum, prolixiori filo et eleganti, quo pollebat, filio, contexxit vitam ipsius, Incunabulis Scholae Annaebergensis a me 1712. editis, cum adnotamentis insertam p. 22. seqv. Miram autem, et, quae causa subsit, cur neque LUTHERI neque MELANCHTHONIS, qui tamquam ipsi coaeui erant, ne verbulo quidem mentio hic facta fuerit, subdorari non possumus.

‡ Quas IO. GERHL. VOSSIUS peculiari tractatu, Amstelod. 1660. edito, egregie delineauit. Vid. et IO. POTTERI Archael Graec. f. 563. et f. 772. Vol. XII. thesauri antiqui, Gronouian, nec non PFEIFFERI Antiquit. Graec. p. 423. et REIMANNI Einleitung zur Hist. litt. p. 47.

numerabantur, non insimum locum occuparet ars, quippe ipsi quoque LVTHERO * pergrata et amabilis, quae adeo studiose etiam excelbat, atque assidue expoliebatur, ut cultior vbiique suauiorque illius vsus in Germania postmodum extaret. Hac de re ita WERNSDORFIVS noster supra laudatus, nullus, inquit, vel rarus ante Saeculum XVI. *figuralis*, quam vocant *Musicæ vsus*, his in regionibus fuit, sed tantum *choralis* sive *Gregoriani Cantus*, tametsi in aulis regum et *Principum aliquanto ante usurpari coepit*, ex Italia primum, vel ex Anglia, ut quidam arbitrantur, et inde in Belgium allatus. Nam MAXIMILIANS I. Imp. praestantissimum et celebrissimum sui temporis musicum, Iosquinum de Pres, cuius variae cantiones, sacrae in primis, exquisita arte, et vetusta gravitate compositae extant, in aula sua fuit, gratiaque sua complexus fuit. Cuius discipuli Iaac, Adrianus, Willard, Vendelock, Lud. Senfius. Nicol. Gombertus, alique, artem magis et magis perpoluerunt. Ita paulatim eadem canendi ratio in urbes maiores et templo inueniebat, sigillatimque Luneburgi Musicam figuralem primus et docuit, et in templum D. IOANNIS a. 1516. adeoque unico, ante repurgationem sacrorum, anno introduxit IO. HEINE. Sic et GE. FABRICIVS in vita supra, non sine laude, nominati R.VII. † de eo scribit: *Hymnos ecclesiasticos canebant frequenter, quibus finitis exquirerent: eorum sententiam, ut etiam in templo cum intelligentia pronunciarentur.* Tanta incrementa capiebat, laudabili LVTHERI opera, ars quoque scienter cantandi, Gracis ‡ iam olim cognita atque perspecta.

Alias, liberali ingenio condignas, artes, non Peplio Minerue, quo opus non est, nam sunt in aprico, ied silentio tantum heic, brevifatis ergo, prætereaamus, quas ei suadebat LVTHERVIS, et ad meliorem culturam, per omnes scholas, prouchere enixe adlaborabat. Ad propaganda earum incrementa decenter quoque sua ope et adiumento, nonnulli ex Princibus Germaniae, præsertim Saxonie, eiusque ELECTORIBVS* † serenissimis. Nam et viuo

* Hinc et inter celebriora Musicorum, solidiori doctrina illustrum exempla, ipsum B. LVTHERVUM nostrum, musicam quippe non vulgariter edocum, recensui in Pogr. Annaebergae MDCCX, scripto. Nam et ipse, teste SECKENDORFIO in suo *Lutheranismo* p. 21. ad musicum quendam Bauaricum anno 1530, ita scripsit: *ego sane ipso duces Bauaricos, utus maxime mibi parum propitiis sunt, vehementer tamen laudo et colo præ ceteris, quod Musicam ita faventer honorant.* Nec dubium est, multa semini bonarum virtutum in his annis esse, qui Musica afficiuntur. Qui vero non afficiuntur, truncis et lapidibus arbitrari finillimos esse. Scimus enim, Musicam Daemonibus inusitam esse et intolerabilem. Et plane judico, nec pudet afferere, post Theologiam nullam esse artem, qua Musica posset aquari, cum ipsa sola id præfet, quod aliquin sola Theologia præfet, scilicet quietem et animum lactum, manifesto arguemento, quod diabolus, curarum tristum et turbarum auctor, ad vocem Musicæ pene similiter fugiat, sicut fugit ad Verbum Theologiae. Vid quoque D. HENR. PIPINGHI, Architeologi olim Saxonici, Disp. de Saulo per Musicam curato, Vitemberg, 1688. hab.

† Vid. eius Primordia emendatae per Lutherum religionis §. 10 p. 38. vbi et p. 39. haec referuntur: cum anno 1519 Lipsiae cum Carlstadio ac Luthero, Eccius diligitare vellet, ac disputatiori e Paulino procederent ad aedium D. Thomae, da sieng man an einer Messe de sancto Spiritu, zu singen, und der Cantor George Nau, hernach Buchdrucker zu Wittenberg, fungte eine Messe mit 12. Stimmen, die vorhin nur erhöret war, vñ roschelius vom Königreich Jesu Christi, in der Vorrede 1. B. f. b. commemorat. Confer etiam HECHTII Germaniam Sacr. et litt. p. 635.

‡ p. 36. Eadem quoque suadebat M. GOTTFRI. HOFMANNVS Gymnas. Littaniensis Rector olim meritissimus, in seinen Zittauischen Dic cur hic p. 46 ita inquiens: bis weilen können auch Sonntags, nach geendigten Gottesdienst, die gewöhnlichen Kirchen-Geänge den Schülern deutlich explicire werden. Demn in den meisten Liedern sind viel dunkle Redensarten, dabeys sich junge und einfältige Leute oft falsch und umgegrundtes Ding einbilden, und die Einbildung davon ist Lebhaft behalten. Hingegen eine deutliche Erklärung eröffnet nicht allein den eigentlichen Verstand der Sachen, sondern macht auch, daß solche Lieder hernach mit grösster Anhacht und Gemüthsbewegung gesungen werden.

‡ Vid. Cornel. Nepot præfat.

* Vid. D. ADAM RECHENBERGII Disp. de Serenissimor. ELECTORVM fauore in litteras

viuo adhuc LVTHERO, et post ipsius mortem, Scholas, Gymnasia et Academias, suis, quibus non parcebant, sumbris, extruere fatagebant. Sic Grimmelae ad Meldam, et Portae prope Naumburgum, scholae illustres, quae, vna cum Afraneo Misenensi, tres scholae illustres pariae nostrae vera sunt Cimelia, nec non Gymnasia Seruestae, Bremae et Herbornae, vti et Francofurti ad Oderam, Marburgi in Haffia, Regiomonti in Borussia, et Dillingae in Suevia, condebantur Academiac, vt pote bonarum artium mercaturae, prout Cicero olim noſter * eas adpellat. Hac itaque ratione et indeſſa piorum PRINCIPVM opera, ſecundabantur pia plentiflissimi LVTHERI incepta, et proſperabantur flagrantia illius, vti ecclſiam, ſic ſcholas etiam, emendandi defideria atque confilia, donec etiam, mortuo diuo LVTHERO, tempora adpropinquarent exoptatissima, quibus PACE, cuius memoriam laetante animo nunc celebamus, PASSAVIENSI firmiora reddebat, quea ante grauifima ſiepe et diſcillima, quibus et optimus LVTHERV S cum ſuis adminiſtris fideliffimis, GE. SPALATINO, IVSTIONA, VRBANO REGIO, IO. BVGENHAGIO, alias Pomerano dico. IO. BRENTIO, CASP. CRVCIGERO aliisque vehementer ingemiscebat, habebant initia, feliciflimos ramen et admirandoſ deinceps, humana ſpc ac opinione citius, fortiebantur ſuccellus. Nunc liberori animo et intrepida manu ulterius erigebant vbiq; locorum PROTESTANTES, quos aiebant, PRINCIPLES Academias atque Scholas, vt effent vberrima ecclſiae plantaria, in quibus, velut in fertiliſſimis arboreris, excreſcēbant viri, quorum ſtudio iuuentus ſcholastica, non ad diuinas ſolum purioris doctrinæ regulas, rite formabatur, ſed et deposita, prout IVSTINVS† gentilis ſcripſor, loquitur, et manufacta etiam barbaria, vſum vitæ cultioris, quae christianos decet, dicere, adſuebat. Nam et haec meliorum ſcholarum eſt, et eſſe debet, conditio, vt non ſolidor ſolum, diuiniorum præcipue et elegantiorum litterarum doctrina, ſed et morum disciplina vbiq; ſtabilitur, quippe cum et ingenuas didiciffe fideliter artes, emolliat mores, nec finat eſſe ferōs, vt verbiſ OVIDII † vt amur. Et utr postea etiam in hiſ, illiſue Protestantium Academias varia, non ſine ingenti bene animatorum dolore, discordie ſemina hinc illine diſpergerentur; libertas tamen ſentiendi, ſanctoribus litteris, et diametro aduersa, rectiffimis PACIS PASSAVIENSIS regulis infringebatur, et adhuc, veriora nos edocente SPIRITV sancto, quae Dei clementia eſt, maleſe infringitur. Cum enim pax, alias opima rerum, tanta polleat vi et efficacia, vt veteri formula dici ita poſſit, DEA CONSERVATRIX ſtorius rei publicae, praeſertim ecclſiarum aequae ac ſcholarum, PACI in primis PASSAVIENSI titulus eiusmodi honorarius, prout ICrorum filii loquuntur, velut proprius eſſe debet. Hinc quantum PACI PASSAVIENSI, quae et centum ferme poſt annis PACE WESTPHALICA MDCLXVIII, ſumma Imperatoris Romani, FERDINANDI III atque Princepum Imperii Romani auctoritate denuo confirmata eſt et ſtabilita, debeat ſcholae noſtræ, amplior adhuc de commodis, quae ex pace hac geminata, in ſcholas aequa ac ecclſias haec tenus promanarunt, diſferendi pateſceret nobis campus, ſi et temporis et iſtituti permitteret ratio. Itud ſaltem addo, quod aliquando in IVLIANI, Imperatoris, epiftolis, quae tamen, vt euolui poſſint, non

ad

litteras et ſcholar, Lipſ. 1689 hab. et IO. CHRISTOPH. WENDLERI Diſp. de meritis ELECTORVM ac DVCEM Saxoniae, Lineae Albertinae, in ecclſiam et litteras, hab. lena 1714 nec non M. HENR. AVG. SCHVMACHERI, illuſtr. Gymn. Grimmelis olim Conrectoris, hodienum Recloris meritiſ. FRIDERICOS Sereniſ Germaniae Princep, pacis, litterar. et ſcholar. amator, eruditæ commentary 1728. expofitus et in lucem protraſto. Vide quoque ſi Orat. meam Saecul. ac meritis Princepum SAXONICOR. in Catechismum Lutheri, Altenburgi in illuſtri Fridericiano, inter ipsa lubila, d. 3. Nov. 1717. habitam.

* Libr. I. de Officiis c. 1.

† Lib. XLIII Hift. c. 4.

‡ Lib. II. de Ponto Epift. IX v. 47.

* Vid. ſi Orat meam de pace ſcholar. conſeruatrice, in ſolemi ſternarum distributione

1734. Freibergae hab.

ad manus sunt, et quidem, nisi torus fallor, epist. XLIX. me legisse memini;
curam * Christianorum retulisse, istum apostolam, infensissimum eorum
hostem, inter praecipuas incrementa primitiva ecclesiae causas. Et id ipsum
etiam de scholis certo certius possumus adfirmare, creuisse feliciter rem scho-
lasticae insigni patronorum et benefactorum cura arque liberalitate, inde
quoque a tempore PACIS PASSAVIENSIS. Nam cum omnis ecclesia no-
strae doctrina, eiusque articuli fidei, rite ad sensum SPIRITVS SANCTI
explicari, et inter alios, articulus quoque de bonis operibus, a detestabili opinione
meriti purgari, eorumque necessitas, ut neque ad iustificationem,
neque ad vitam aeternam consequendam, sed ad exsequendum filius DE',
bona opera serio praecipientis, mandatum, nec non ad fidem nostram testa-
tiorem reddendam, sint necessaria, clarius intelligentiusque doceri, denuo in-
ciperet, cura et prouidentia DEI admiranda, plures excitabantur indies Pa-
tronii, Mæcenates ac laetioris conditionis viri, qui largioribus eleemosynis,
beneficiis, stipendiis atque legatis, pauperioribus Musarum filiis, subuenie-
bant et ad studia feliciter propaganda, erogabant, nec quicquid non ad pios
vlos piasque causas illustrandam facere, vla ratione, poterat, liberali et mente
et manu clargiebantur. Proinde et istud, quod MARTIALI siam olim cecinuit.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flace, Marones,
nostra aetate, plenis buccis decantare, et inprinisi SCHOENBERGIOIS, ALN-
BECKIOS, PACKIOS, HOLEWEINIOS, HORNIOS, SCHOENLEB OS,
ECKARDIOS, ALBERTOS, RICHTEROS, FISCHEROS, LENICHIOS, aliosque
quam plurimos, nominare possumus, qui de incrementis rei scholasticae
nostræ, pro sua quisque conditione, optime, heic locorum, sine opinione meriti,
demerendis quippe hominibus nati, meruerunt, suaque nomina immortalitatⁱ
consecrarent. Quorum etiam Legata *† quae, vtpote piis caussas, violare
non fas est, omni modo conseruare, et quacunque id fieri ratione queat,
in posteritatis solitum, adaugere SENATVS noster AmpliS. Consule in
primis, haec tempestate nostra, ad gubernacula ciuitatis sedente, Viro Con-
sultiS. DOM. IO. CHRISTIANO PISTORIO, data occasione, laudabiliter
contendie. Cum enim ex ipsis CICERONIS *‡ sententia, boni consilis sit,
non solum videre, quid agatur, verum etiam prouidere, quid futurum sit; prouidet
hic, cum Dom. COLLEGIS suis, et probe cognoscit, piis caussas, vti Ecclesiae,
ita et Scholarum, fulera esse externa, quae si collabefant, aut, quod DEVIS
auerruncer, plane corruant, et scholæ quoque, et ecclesiae in deterius
labantur, necesse est. In talis modi autem scholis, et DEI gratia et Pa-
tronorum favore arque benefactorum propensione ac liberalitate suffultis,
delubris quoque Musarum, et situ et puluere abstersis, ac quae suo tempore
DEVIS dabit, in melius euctis atque elegantiis exstructis, et bene discitur
et bene docetur. Haec igitur omnia, quae strictim heic delineauimus, vere
bona dicenda sunt opera, quibus salutis studiolæ iuuentis in scholis arque
academiis vere adiuuatur. Quae dum meditor, incidunt mihi in mentem
alienæ religionis scholæ, quas, vt velut per transennam dunxat, inuisendi
data mihi fuit occasio, horruit et obstupuit. Veruntamen nolo in praefens extra vi-
neam vagari, et in alienas terras ipsarumque scholas excurrere. Qui non inuidia
aut malevolæ mentis affectu abripiuntur, sed omnia, ad diuinæ veri-
tatis, imo ad sanæ rationis et bene compositæ conscientia amissim, examinant
et perpendunt, aperte confiteri eos oportebit, vti ecclesias, sic et
scholas Protestantium melius constitutas esse, easque magis inde atque magis
florere, maiori etiam cum fructu, quam alienas alienæ fidei scholas, frequen-
tari. In nostris scholis, quae DEI gratia est, lac doctrinae catecheticae teneri-
mis pubis scholasticae animis instillatur, indeque prima verae religionis
principia, ac genuina vere adorandi colendique DEVVM ratio, illis, a pueris
inde inculcatur, insimulque recta via, ad virtutis vitaque honestæ studium
demon-

* Vide plura, quae habet in hoc argumentum, supra iam laudatus IO. LAVNOIVS, in Diff.
de cura Ecclesiae pro misericordiis et pauperibus, Edit. II. an^d Parisiis 1663. cuius alia
quoque scripta quam plurima recentior in Nouis Litterar. Lips. 1710. p. 142. Vid.
et IO. ALBERTI FABRICII Praefat. in IO. MABILLONII Iter german. et IO. LAV-
NOII Libr. de scholis celebrioribus a CAROLO M. et post illum in Occidente instauratis,
Edit. Hamburgi 1717.

† De Inuulnerabilitate Legator. in genero vid. OBSERVAT. Hall. Tom IX. No. 8. p. 273. et
in specie n. 9. p. 317.

‡ pro Murau. c. 2.

Y6.
570
FR

Demonstratur. Quibus iactis rite fundamentis, superficierunt dehinc quae-
dificieum solidae eruditionis, et perdocendo, et addiscendo elegantiores
litteras acque artes, unde deinceps viri euadunt, qui in variis rei publicae
officiis versari, variisque scientiarum generibus perpoliti, saecularibus acque
ac ecclesiasticis prouinciis maxime viles esse possunt. Haec etenim est
nostru acui felicitas, ut et GERMANIA * propemodum milite desituras,
at litteratis suis, seu mole, laborans, non nemini visa iam olim fuerit.
Genuino tamen scholarum et Gymnasiorum florem ac existimationem, non
in multitudine, sed in bonitate ac solertia discentium consistere, omnes fatean-
tur oportet, qui iusta et aqua animi lance rem scholasticae norunt perpendere,
et quibus curae est atque cordi, ut animi iuuenium, ad pietatis praeserrim, morum
deinceps viraeque honestae, insimulque meliorum litterarum doctrinam, rite
ac solerter formantur. Et haec mens, hic animus et iis inest, qui in Gymna-
sio nostro, pro suis quisque ingenii viribus, publice docendo iuuentum,
omni laude defudunt. Ad se enim ipsos pertinere quoque beneficia PACIS
PASSAVIENSIS, adeo grata mente agnoscunt, ut in ipsis memoriam vel
publicis orationibus ostendere ineditentur, quotuplex illius usus sit, et quanta
veilitas! Mihī etiam ipsi, quod praefiscisci dixerim, gloriae duco et ho-
norū, quod producere possim in publicum, viros eruditos, et qui diu iam de
re nostrā scholastica optime commerit sunt, et adhuc bene merevi, lauda-
bili studio elaborant, quorum et nullus ab iis, quibus dignitas scholarum
non in superficie signisque penderet, sua laude defraudandus est. De iis enim
vere potest affirmari, ut illorum studia vitaque omnis in rerum cognitione
verferunt, ab augendis tamen bonum vtilitatibus et commodis non recessisse:
nam erudierunt multos, quo meliores ciues utilioresque rebus suis publicis essent
prout idem CICERO loquitur; ipsos etiam profiteri de le, cum eodem
CICERONE †, hunc in modum, audio: quod munus rei publicae offere manus
meliusus possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentum? is praefer-
tim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa illa est, ut omnium opibus
refraenanda atque coercenda sit. Inter hos Viros bonae mentis, choros ducit
merito, Vir, vita Freibergae nostrae promoeria et patriae terminos cele-
bratissimus,

Dom. M. IO. GOTTLIEB BIDERMANNVS, Rector Gymnasiū nostri
meritissimus, qui Vsum PACIS RELIGIOSAE singularem, se exse-
rentem in ciuitate christiana, carmine Heroico decantabit. Quem
e vestigio et suis meritis sequetur

Dom. M. IO. ANDREAS LVTHERVS, Conrector et Senior totius Col-
legii scholastici, Vir ad erudiendam iuuentutem et natus et factus,
eundem usum in re ciuili administranda, oratione latina, demonstra-
turus. Hunc sequentur

Dom. M. IO. AVGVST. HARTZBACHIVS, Collega III. qui Ode Aetate
Vsum pacis huius praecepit, in flore scholarum ornando, praece-
perit; dehinc

Dom. IO. FRID. DOLES, Cantor et Collega IV. Vsum hunc, in statu occo-
nomico, prudenter conseruando, sermone latino, prout

Dom. GOTTFRIED GEBHARDVS, Collega V. in anima tranquillitate
comparanda, stilo latino, nec non

Dom. IO. GOTTFR. FRITSCHIVS, Collega VI. in cultura virtutum iu-
uanda, sermone itidem latino, et

Dom. IMMANVEL STEIGERVIS, Succentor et Collega VII. in elegantiā
morum probewenda, Vsum, quem pax haec, variis modis praeficit
eximium, viuis coloribus, pro suo quisque ingenio, depinget.

Hos igitur ad unum omnes, non in schola vmbriatili, sed pro rostris
publicis, induitu Amplissimi SENATVS, crastino die, hora ante meridiem IX.
dicturos, ut Maecenates, qui hic viunt, et toga et sag⁹ illustres, nec non
Patroni rei scholasticae benignissimi, et quicunque incrementa iuuentutis
scholasticae exoptant, benevolē audiunt, non meo solum, sed et publico no-
mine, perfractio ac perhumaniter rogatos volo. P. P. die

XIX. Septembr. A. R. S. MDCCLV.

* Quae prodidit Cofinopoli 1677. Aut. Ayerupas dicto forsan, prout VINCENT. PLACCIVS
in theat. Anomori. N. 1308. auguratur, Grunewald. Vid. etiam PETR. DAHL-
MANNS Schaplus der malquerten und demalquerten Gelehrten p. 513.

† L. I. de Off. c. 44.

‡ De Divinit. L. II.

5. Februar 1734.

Y &
540

DFG

A. D. A. M. quod sum
QVANTVM DEBEANT SCHOLAE
PACI PASSAVIENSI
BREVITER PRAEFATVS

AD

ORATIONES SAECVLARES

AB

IPSIIS IN GYMNASIO FREIBERGENSI

ET

MEMORIAM

PACIS ISTIVS MDLII. PASSAVIT

PACTAE

ET

AVGVSTAE VINDELICORVM die XXV. SEPT. MDLV.

IMPERIALI AVCTORITATE CONFIRMATAE,

PRO ROSTRIS PVBLICKS, AD DIEM XXX. EIVSD. MENSIS

HABENDAS.

OFFICIOSISSIME INVITAT

D. CHRISTIAN FRID. WILISCH,
SVPERINTENDENS.

FREIBERGAE,

annis MATTHAEIANIS.

